



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pyrmontani, Liberi Baronis De Furstenberg**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**Parisiis, 1684**

Ad Augustinum Favoritum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7748**

Scilicet argenti quidquid Tiberinus & auri  
 Ceperat, hæc domino restituere suo.  
 I nunc, & Crassum memora Romana vetustas,  
 In Parthos auri quem sacer egit amor.  
 Serviit ille opibus: laudato CHISIUS usu  
 Effusæ dominum se probat esse rei.

A D

AUGUSTINUM FAVORITUM.

*De morte Natalis Rondinini, ALEXANDRO VII.  
 Pont. Opt. Max. ab Epistolis ad Principes.*

**N**ON ita Lampetie casu Phaëthontis acerbo  
 Flevit, & ambusto Cycnus in amne Padi;  
 Non ita Pelides, media cum vidit arena  
 Actoriden sparsis cæde jacere comis;  
 Tros Anchisiades non sic Pallante peremto,  
 Nec Theseus cari funere Pirithoi;  
 Ut mihi mœsta pio tabescunt lumina fletu,  
 Imaque perpetuos pectora dant gemitus:  
 Dum desiderio mentem perfixus inani,  
 NATALIS mutos conqueror ad cineres.  
 Crudeles Divos, crudeliaque astra vocanti  
 Nulla venit misero nocte dieve quies.  
 Nec magis, heu! lacrymis saturatur luctus amaris,  
 Quam matutino rore perustus ager.  
 Si fugit interdum, vagus ut Mæander, in orbem  
 Mox redit, & sese decipit ipse dolor.



32 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.  
Notaque dilecti passim NATALIS imago  
Occurrit madidis obvia luminibus;  
Dulce loqui fido, velut ante solebat, amico,  
Brachiaque & caras tendere visa manus.  
Sive etenim ripam Tiberini propter amœnam  
Cernere velivolas, quas vehit unda, rates,  
Et septem geminis late spectare jacentes  
Collibus antiquæ me juvat Urbis opes,  
Pyramidasque novo ductas ad sidera sumtu,  
Et Vaticano templa superba tholo:  
Sive suburbanas Latii peragrare ruinas  
Mite jubet sancti Principis imperium,  
Albanumque lacum, dilectaque rura Minervæ  
Posthabitis Romæ visere deliciis,  
Montis ubi quondam per viscera ductus aperti  
Fatalis Veiis irrigat arva liquor:  
Semper amarities, semper dolor hæret eunti,  
Et cruciat miris anxia corda modis.  
Nec vetus Alba gravem potis est mihi demere  
curam,  
Umbra nec æstivis Tuscula frigoribus;  
Nec nemus Egeriæ, Scythicæ nec regna Dianæ,  
Nec lacus occulti conscius Hippolyti.  
Tene mala, juvenum castissime, fraude no-  
vercæ  
Distractum rapidis membra cruenta rotis,  
Tene Coronides mediis e faucibus Orci  
Ereptum Triviæ restituisse Deæ,

Et



Et lætos oculos; roseumque potentibus herbis  
 Os valuit, nitidas & reparare comas?  
 At miserum, ut primæ NATALIS flore juventæ  
 Occidit indigno flebilis interitu,  
 Non pietas, non sancta fides, non Pallas, &  
 omnis  
 Aonidum tanto cultus amore chorus,  
 Ipse nec ætherias revocare ad luminis auras  
 Sustinuit medicæ Cynthius auctor opis?  
 I nunc, & demens animos attolle superbos,  
 Et Zephyro plenos finge tumere sinus.  
 Finge miser titulos, & grandia munera rerum,  
 Et spera Pylii tempora longa senis.  
 En jacet exigua juvenis compositus in urna,  
 Promeritus cœptis omnia fausta suis.  
 Nam quid ALEXANDRI meritis favor, aut quid  
 honorum  
 Spes, & fraterna fœdera juncta fide?  
 Quid præclara domus, genitrix aut profuit illi  
 Optima, Castalias inter habenda Deas?  
 Læta quid aspirans rebus fortuna secundis,  
 Et plausus tota maximus Ausonia?  
 Scilicet exorare nefas est fata, nec ulli  
 Parcarum licuit frangere duritiem.  
 Non tamen Heroum manes inferna coërcent  
 Flumina, nec Stygii pallida regna Jovis.  
 Ætherias illos virtus sublimis ad arces  
 Evehit, & campis consecrat Elysiis.

E



34 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.  
Hic, hic NATALI domus est: hinc arduus imas  
Sub pedibus terras despicit & maria;  
Miraturque novos orbes, convexaque mundi  
Mœnia, & innumeras, splendida signa, faces.  
At licet huic longos inviderit Atropos annos,  
Dum meritis implet Solis utramque domum;  
Ne tamen ulla queat nomen delere vetustas,  
Provisum Clario gratulor esse Deo.  
Dum terras atque omne sibi devinciet ævum,  
Curaque ALEXANDER posteritatis erit;  
Dum pius in Venetos animus studiumque canetur,  
Classis & Ægæo Thracia victa mari;  
Dum referetur amor, quo tristia bella Tyranni  
Ardet in excidium vertere Bistonii,  
Quo res Sarmatiæ, viduataque Cæsare regna  
Curat, & impositos Alpibus Helvetios:  
NATALI constabit honos, vivaxque manebit  
Doctrinæ, & Suadæ nomen, & ingenii.  
Semper ALEXANDRI, sacra per vestigia, laudes  
Pone sequens, ibit clara per ora virum.  
Tu quoque Pieridum decus, AUGUSTINE, sororum,  
Quo Latium, & tumidis Macra superbit aquis,  
Ingenuos mores, & vitam puriter actam,  
Cordaque non ullis tacta cupidinibus,  
Virtutesque alias cari memorabis amici  
Carmine, quod possit nulla abolere dies.  
Nam neque signa tuæ spirantia marmore Lunæ,  
Nec Polycletea nobilis arte labor,